









E. 27. num. 5.

9.

**E F F E C T V S**

**POTIORES COMMVNIONIS BONORVM  
VNIVERSALIS CONSTATE MATRIMONIO**

P. 402

JUVANTE DEO

RECTORE

SVÆ VNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ

MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO

D O M I N O

**C A R O L O**

1773, 10.

17

DVCE WVRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ REGNANTE REL. REL.

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R Æ S I D E

**FRIEDRICO GVIL. TAFINGERO**

PHIL. ET J. V. D. HVIVSQVE PROF. PVBL. ORD.

SERENISSIMI DOMINI DVCIS CONSILIARIO

IMPERIALIS ACADEMIÆ SCIENTIARVM ROVEREDENSIS SOCIETATVM

GOETTINGENS. ET HELMST. TEVTONICAR. IENENSIS ET

MARCHICO-BADENSIS LATIN. MEMBRO HONORARIO

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO IN ÆTERNVM VENERANDO

D E F E N D E T

D. XV. MARTII MDCCLXXIII.

A V C T O R

**IOHANNES IOACHIMVS STRAMPFFER**

WINDSHEMIO - FRANCVS

IVR. CANDIDATVS.

TVBINGÆ, TYPIS FVESIANIS.









LIBERAE S. R. I. CIVITATIS  
WINDSHEMIENSIS  
PRÆTORI  
CONSVLIBVS  
SENATORIBVS  
CONSILIARIISQVE  
VIRIS  
MAGNIFICIS  
AMPLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS  
MÆCENATIBVS  
PATRONIS

OPTIMIS MAXIMIS





OBSEQVII OBSERVANTIÆ AMORISQVE CVLTV

NVNQVAM NON PROSEQVENDIS

DISSERTATIONEM HANC

IN SVI COMMENDATIONEM MEMORIAMQVE

SACRAM ESSE CVPIT

TANTORVM NOMINVM

CLIENS CVLTORQVE PERPETVVS

AVCTOR.








EFFECTVS POTIORES COMMVNIONIS  
BB. VNIVERSALIS CONSTATE  
MATRIMONIO.



§. I.



Cogitanti mihi de materia quadam Juris, pro Specimine conscribenda, nonnulla Juris civilis obvenerunt puncta, quæ ulteriori disquisitione indigere videbantur. Talia quidem elaborare decrevi, atque in iis explicandis vires meas tentare. At voluit quidam meorum cognatorum, Vir Summe Venerandus, ut scriberem Specimen Juris Germanici, & quidem *de effectibus communionis Bb. universalis cum constante, tum dissoluto matrimonio*; ejus desiderio ne obessem, officii esse putavi, quamvis fere ab hoc proposito deterritus sim, quia hanc jam materiam satis superque enuclearunt magni Nominis Viri. Mihi itaque fere nihil relictum est, quam ut ab aliis dicta repetam. At hoc non obstante periculum faciam, & Cognati mei Estimatissimi jussui, quatenus per vires meas exiguas licebit, satisfaciam. Quia autem in academiis tempus discendo magis, quam scri-

A 2

bendo







hendo consumendum est, in hoc specimine tantum potiores effectus communio-  
nis Bb. universalis, constante matrimonio tradere constitui, effectus  
communio-  
nis Bb. universalis. dissoluto matrimonio contra commodiori  
reservaturus occasio.

§. 2.

In evolvendo & explicando themate proposito definitio commu-  
nionis Bb. præmittenda mihi videtur. Est autem communio Bb, condomi-  
nium, quo utriusque conjugis bona ab utroque pro indiviso possidentur.  
Ex hac definitione statim fluit, non quamlibet possessionem omnium Bb.  
pro indiviso constituere communionem bonorum, sed requiri ad-  
huc conjuges, in uno eodemque matrimonio legitimo atque iusto  
videntes. Considerari autem potest hæc communio duplici modo.  
Est enim ab utraque parte modus alienandi & acquirendi. Nam uterque  
conjug concedit alteri condominium in suis bonis. Hoc quoque monen-  
dum duco, quod hæc definitio non ad omnes communionis Bb. species  
possit applicari. Neque definitionem, quæ ad omnes species applicari pos-  
set, dari posse arbitror; quippe communio Bb. ordinaria per leges provin-  
ciales atque statuta admodum deformata est. Malui itaque communionem  
Bb. *κατ' ἐξοχήν* talem, i. e. universalem, definire.

§. 3.

Hæc communio Bb. de qua mihi nunc prolixius agendum, in  
iure Nat. quidem fundata, a) minime autem præcepta est. Uxor enim  
æque ac maritus secundum jus Naturæ retinent dominium in bonis, quæ  
intulerunt in matrimonium, vel quæ durante matrimonio, quocumque ti-  
tulo sibi acquisiverunt; usum tamen istorum Bb. communem judicamus.  
Neque jus Nat. excludit Pactum b) de communione Bb. introducenda.

- a) CHRIST. GODOFR. HOFFMANN de communionis Bb. conjugum  
natura atque principiis. Francof. ad Viadr. 1730. ibid. 1755. §. 1.  
b) EMIL. LVD. HOMBERGK zu Vach de communione Bb. inter conju-  
ges nobiles atque illustres per Germaniam exule. Marb. 1767. §. 2.

§. 4.





§. 4.

An autem apud Romanos vigerit communio Bb? valde controvertitur. Meo quidem juvenili iudicio, omnino vestigia illius reperiri in Roma antiqua, arbitror, quæ non inconcinne ex locis sequentibus colligere licebit. *Dionys. Hal. a)* ait: „Lex autem hæc erat, mulierem nuptam, quæ ex sacratissimis legibus in manum mariti convenisset, cum eo omnium Bb. & sacrorum participem esse -- Uxor enim, si pudica fuisset, & marito in omnibus rebus morem gefisset, erat familiæ domina æque ac ipse vir, & in ejus defuncti bona, ut filia in patris heres succedebat. Et si sine liberis, & intestatus obiisset, erat omnium Bb. relictorum domina, sin autem habuisset liberos, ex æquo cum liberis particeps erat., Et *Columella b)* inquit. „Et apud Græcos & mox apud Romanos erat summa reverentia cum concordia & diligentia mista, flagrabatque mulier pulcherrimæ diligentiæ æmulatione, studens negotia viri cura sua majora & meliora reddere. „Nilil conspiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus, aut femina proprium esse sui juris diceret., *MODESTINVS c)* nuptias ita describit: „conjunctio maris & feminae, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio., *GORDIANVS d)* ait: „uxor est sociæ rei humanæ ac divinæ domus., His suffultis rationibus haud difficili negotio dissentientium argumenta, quæ pro stabilienda sua sententia allegant, poterunt destrui. Objiçunt nimirum, quod, quicquid acquirebat uxor, marito acquireret *e)* & *Cic. Topic. IV.* inquit: omnia, quæ ejus erant, fiebant viri dotis nomine. Postea, quod jus vitæ & necis competiisset maritis in uxores adulteras *f)* vinofas, aliisque se sceleribus polluentes. Et quæ sunt reliqua argumenta, quibus commoti, plane apud Romanos statui non posse communionem Bb, contendunt. At hæc salva nostra thesi concedere possumus, & antibus largimur manibus, quia in ipsa communione Bb. omnia, quæ uxor acquirit, acquirit & marito, & omnia, quæ uxoris erant antea, viri sunt expost dotis nomine, ut utar *Ciceronis* verbis, quo nomine dotis omnia *g)* illata intelligenda sunt. Deinde non obstanti jure vitæ & necis communio Bb. potest





potest existere. Jus enim vitæ & necis spectat ad corpus humanum, communio Bb. autem ad bona. Quamvis libentissime concesserim, uxoris facultatem in bonis suis & mariti ob conventionem in manum mariti valde restrictam fuisse. Ceterum hoc adhuc superaddere liceat, quod cessante uno alterove effectu non valeat conclusio ad defectum totius communio- nis Bb. h) & quod argumenta adversariorum ex nostris allegatis debeant explicari.

- a) *Antiq. Rom. lib. 2. c. 4.*
- b) *de re Rustica. c. 1.*
- c) *L. 1. D. de ritu nupt.*
- d) *L. 4. C. de crim. expil. heredit.*
- e) *HEINECC. Synt. ant. Rom. lib. 1. tit. 10. §. 6.*
- f) *DIONYS. Hal. II. pag. 96. Gell. II. 23.*
- g) *De CRAMER Observ. Jur. un. tom. 3. obs. 789. §. 3.*
- h) *Neque defunt ICTI, qui meam amplectuntur sententiam. ANT. HAVS de eo, quod circa communionem Bb. inter conjuges ex provinciali Ordinatione Franconica iustum est. Würzburg. 1760. §. 3. HENRIC. BROCKES de bonorum conjuges inter Hamburgenses communionem. Jen. 1747. §. 3. & 4. FERDIN. CHRIST. HARPPRECHT Tr de renunciat. acquæst. conj. n. 2 -- 9. JO. MAVRIT. WEYER Commentarius de communionem Bb. inter conjuges eorumque divisione inter liberos demortui conjugis & superstitem parentem. Lemgov. 1739. P. I. th. 2. fol. 10. BALTHAS. DITTERICH de eo, quod circa communionem Bb. jure Germ. præprimis Bambergensi iustum esse videtur. Bamb. 1758. §. 16. & 17.*

### §. 5.

Iure Romano novo, & extincta paulatim in manum conventionem, conjuges non amplius bona ipsa communicantes, sibi modo communem Bb. usum



ufum concefferunt, & hac ratione poffumus modo aliqualem communionem Bb. ftatuere, quam aliis a) honorariam appellare placuit.

a) STRUV. Ex. 29. th. 56.

### §. 6.

Sunt Iſti, qui in Jure Canonico prima communionis Bb. veſtigia quæ-  
rere ſtudent, & pro fundanda ſua ſententia provocant ad c. 2. X. de donat.  
inter vir. & vx. ibi: „Significavit P. mulier, quod H. quem loco viri  
„tenebat, divortio inter eos ſolemniter celebrato, dotem ſuam illicite de-  
„tinat, & reddere contradicit: Poſſeſſiones etiam, quæ iſtis, dum ſimul  
„viverent, cujuſcunq; contractus titulo communiter obvenerunt, ea  
„prorſus excluſa, ſibi nititur vindicare. Ideoque mandamus quatenus, ſi  
„ita eſt, & non eſt aliud, quod obſiſtat, ipſum ad reſtitutionem dotis, &  
„diſiſionem eorum, quæ olim communiter haberit, diſtrict. Eccleſ. compellatis.,  
„Liceat autem nobis cum HOFFMANNO a) contendere, in hoc textu  
nullum jus conſtitui, ſed ex conſtituto atque recepto decerni. Et quam-  
vis dōs ejuſque reſtitutio cum communionem Bb. univerſali non combinari  
poſſit, uti obmovent adverſarii, b) nihilominus tamen in particulari comm.  
dos non excluſitur. Conſpiramus itaque cum STRUCKIO, c) quatenus exiſtimat,  
pontificem hoc in textu jus introducere noluiſſe. Nullo vero modo  
fovemus ejuſ ſententiam, quatenus ſequitur opinionem GONZALEZII.  
d) Hic enim ſtatuit, ſecundum Lexoniensis diœceſis, ad quam ſpectat  
textus, citatus ut inſcriptio docet, conſuetudinem, bona conſtante matrimonio  
acquiſita dividi inter conjuges, & pontificem heic decernere ſecundum hanc  
conſuetudinem. Cui opinioni manifeſte adverſatur cap. alleg. Sermo enim  
eſt in hoc capitulo de ſoluto matrimonio. Ubi ſoluto matrimonio adjudicatur  
diviſio eorum, quæ iſtis, dum ſimul viverent, cujuſcunq; contractus  
titulo communiter obvenerunt, & quæ ad ſinem matrimonii uſque  
communiter poſſederunt, ibi conſuetudine receptum eſſe non potuit, bona  
conſtante matrimonio acquiſita dividi inter conjuges. Tunc enim ipſo jure

B

&





& statim bona hæc durante jam matrimonio fuissent divisa, nec compossessio ad finitum matrimonium usque locum sibi vindicare potuisset. Deinde, quodsi admitteremus talem compossessionem absque divisione usque ad solutum matrimonium, semper tamen tacitam eo inierunt communionem Bb. id quod eo evidentius inde patet, quia neuter conjugum ante solutum matrimonium, eoque sublatam communionem Bb. ad divisionem provocavit. Denique ostendit cap. cit. uxorem jam habuisse condominium rerum pro indiviso possessarum, a quibus a marito excludebatur. Inde concludo: ubi est condominium, quo conjugis utriusque bona, etiam nonnulla, ab utroque pro indiviso possidentur, ibi est communio Bb. & ibi durante matrimonio bona acquisita dividi non debent. Ergo GONZALEZII opinio nuam meretur fidem.

a) l. c. §. i. nota b.

b) ARNOLD LANGE von der Gemeinschaft der Güther unter teutschen Eheleuten. Bayreuth. 1766. §. 7. pag. 36. seq.

c) V. M. tit. de ritu Nupt. §. 94.

d) ad cit. c. n. 6.

### §. 7.

Præcipue autem communio Bb. in usu fuit apud Germanos; Id quod liquidum est ex Parcemiis Jur. Germ. *Leib an Leib, Gut an Gut; Schopf um Schopf; Hut bey Schleyer, und Schleyer bey Hut; Längst Leib, längst Gut; der letzte macht die Thür zu; wem ich meinen Leib gönne, dem gönne ich auch mein Gut.* Spec. Sax. lib. I. art. 31. ibi. *Mann und Weib haben nicht geweyet Gut bey ihrem Leben.* Spec. Suev. c. 34. *Stirbt einer Frau ihr Mann, sie bleibt in des Manns Gut ungetheilt mit ihren Kindern.* & c. 46. *Mann und Weib mögendt nicht haben Gut geweyet.* rel. rel. Sicuti hoc omni dubio exemtum est, ita contra magnæ altercationis inter Ictos subortæ sunt de tempore, quo communio Bb. in Germania sit introducta. Alii tempore  
Taci-



Taciti *a*) & Julii *b*) Cæsaris jam obtinuisse arbitrantur. Alii *c*) hos refutant. Apud Wisigothos *d*) & Francos *e*) certo modo receptam fuisse præter Langium *f*) testatur Engau. *g*) Hoc adeo certum, quam certissimum est, medio ævo per universam Germaniam communionem Bb. invaluisse teste Estore *h*) & Langio. *i*) Et quod colligere licet ex his duobus speculis, in quibus collecti sunt mores, quibus omnes Germani *k*) vixerunt. Quod tamen restrinxerim præsertim ad civicos *l*) homines. Inter nobiles enim & illustres illius usus non adeo frequens erat ob multas bonorum & personarum rationes.

*a*) de mor. Germ. c. 18.

*b*) de bello Gall. lib. 6. cap. 19.

*c*) LANGE l. c. cap. 1. §. 1. pag. 2.

*d*) L. WISIGOTH. lib. IV. tit. 2. § 16.

*e*) L. RIPVAR. tit. 37. §. 2.

*f*) l. c. §. 2. pag. 5.

*g*) Elem. Jur. Germ. lib. 1. §. 370.

*h*) *Anfangs-Gründe der Rechts-Gelehrsamkeit der Teutschen.* tom. I. cap. 102. §. 731.

*i*) l. 1. §. 3. pag. 7.

*k*) præter modo citatos vid. HAYS alleg. diff. §. 4. & BROCKES l. c. §. 7.

*l*) HOMBERG zu Vach l. c. §. 20. Ill. de Selchow Elem. Jur. Germ. §. 471. & Ill Putter El. Jur. Germ. §. 261. seq.

§. 8.

Quemadmodum in societate extra matrimonium bona ita possunt conferri, ut vel omnia communicentur, *a*) vel nonnulla, sive ea tantum, quæ ex quæstu veniunt: *b*) ita eodem modo fieri potest in communiōe Bb. in





qua vel omnia utriusque conjugis bona quoad dominium sunt communia, & tunc communio Bb. universalis, vel non omnia, & tunc particularis c) appellatur; quæ iterum duplex est; aut particularis in specie talis, si afficit communio Bb. certam determinatamque Bb. partem; aut venit nomine acquæstus conjugalis, & comprehendit ea, quæ pendente matrimonio, communi utriusque conjugis industria ex omnibus bonis acquisita d) sunt.

a) L. 3. §. 1. ff. pro socio.

b) L. 7. ff. pro socio.

c) de particulari in hoc instituto fermo mihi non erit, sed de universali. Et hoc unicum præmittendum esse arbitror, quod in hac dissertatione effectus communionis Bb. universalis ex propriis suis fontibus definire atque determinare mihi proposuerim, qui ubique valere debent, ubicunque singulare quid non sit statutum.

d) ubi autem hodie una alterave species communionis Bb. vigeat; videri potest apud *Ill. de SELCHOV*, El. Jur. Germ. §. 469. n. 2. & §. 476. n. 2. & apud *Exc. atque consultissimum D. D. CANZIVM*, præceptionem meam longe colendissimam, in *Diff. de Jur. & Obligat. uxoris vel repudiato*, vel denegato beneficio renunciandi communioni Bb. maxime secundum Jus Wurtembergicum §. 4. n. a) & b).

### §. 9.

Communio Bb. vel legibus introducta est, & tunc vocatur legalis; vel a conjugibus aut de novo introducitur, aut legibus jam introducta alio modo determinatur, & nominant pactitiam seu conventionalem. De qualibet hæc pauca addere, a nostro instituto non alienum erit. Quia legalis communio lege nititur, & lex semper loqui præsumitur, donec probetur contrarium, inde in dubio cives loci huic legali communioni semper sese subjecisse censentur; sola autem habitatio non sufficit, sed ex c. 20. x. de foro competente notum, ad subjectionem, & fori competentiam in personalibus domicilii constitutionem requiri. An autem conjuges, qui ex loco, ubi legibus communio Bb. valet, in locum emigrant, ubi ignoratur, prio-



prioris statuti dispositionem retinuerint? sub iudice lis est. Alii pro affirmativa, a) alii pro negativa pugnant. Mihi opinio eorum, qui negant hanc quæstionem, ex hisce argumentis aridet. Nam 1) conjuges post institutam domicilii mutationem renunciarunt priori, & consenserunt in novum statutum. 2) Debet inspicere iste locus, ubi executio fiat, quæ valde injuste susciperetur b) in primo loco. 3) Si objiciatur per legalem, sive tacite initam communionem bona conjugum fieri indivisibilia; id quidem non inficiamus. At hoc scias velim, omnia pacta iniri sub clausula: rebus sic stantibus, & inde communionem Bb. solvi domicilio c) translato. Hæc prædicta autem sub hac limitatione intellecta volumus, nisi novo consensu pristinam ipsis continuare placuerit communionem. Quod autem attinet communionem Bb. conventionalem, hanc inire, ubi nondum introducta est, cuicunque per generalem observantiam permiffum est. Et hoc ab æquitate naturali non alienum est, quippe communio Bb. tangit res, earumque dominium, & vi libertatis naturalis quilibet dominus de rebus suis quocunque modo sanus vel moribundus disponere potest. Id quod jam in statu naturali, introducto rerum dominio separato, obtinuisse, nemo est, qui inficias ibit. Etiam nostri majores d) admiserunt pacta dotalia, jure Romano in Germania nondum introducto, & permiserunt in iis, de bonis disponere, & inde pacta, dotalia jam ante jus Rom. receptum, Germanis innotuisse bene colligitur.

a) HOFFMANN l. c. §. 3. n. g.

b) MEYER ad Jus Lubec. lib. 2. tit. 2. art. 12. n. 407. seq.

c) EISENHART progr. de natura & indole communionis Bb. inter conjuges tacite initæ. Helmst. 1764.

d) L. Angl. tit. 13. L. Salica. tit. 49. & 63. L. Ripuar. tit. 48. HEINECCI Elem. Jur. Germ. lib. 1. §. 231.





## §. 10.

Haftenus diximus, licere communionem Bb. pacto introducere. An autem conjugibus permittatur, communionem legalem pacto tollere? difficilius quaestio esse videtur. At paucis decidi potest, dummodo consideremus, conjuges aequae per observantiam statutis pacto derogare posse secundum paritatem: *Willkühr bricht Stand-Recht.* Et exinde conjugibus facultatem concedimus; hanc communionem legalem aut totam, aut parte a) tollendi. Quod & naturali jure permittum esse docet HOMBURG zu Nach. b) In nonnullis locis autem conjugibus certum quoddam temporis spatium est praescriptum, intra quod a communione legali abstinere possunt. Ita licet ipsis intra tres menses a die nuptiarum computandos recedere in C. Pr. Culmbac. tit. 7. §. 2. ibi: *Was sodann vor der priesterlichen Copulation, oder in denen nächsten dreyen Monathen nach derselben bedungen, oder verabredet worden, das soll gültig seyn -- Widrigensfalls hat es bey der comm. Bb. und dem daraus fließenden effect sein Bewenden, also daß auch der an theils Orten eingeführte Jahrsfall hoc casu cessiret.* Alibi ipsis expresse legalis communionis immutatio reservata est. v. g. In Decrato communi Hildesienensis civitatis d. XXVII. Sept. A. 1699., quod exstat apud GE. LUDOV. d. ZOEHMERYM, ibi: „jedoch nisi aliter pactum.“, Jus Mindense lib. I. lit. B. art. 6. expressis monet verbis: *Es wär dem Sache, daß solche Eheleut wider dieser Stadt uhralttes Herkommen, und Gebrauch in den Ehe-Pacten keine Gemeinschaft ihrer Güter gemacht, oder von ihren Gütern ein gewisses sich vorbehalten hätten.* Statutum Hamburg. P. 2. tit. XI. art. II. ibi. *Wenn Ehezärter zwischen Eheleuten seyn aufgerichtet, und von denen, die zur Verpflichtung dazu erfordert seyn, vollzogen, unterschrieben, und versiegelt; so wird auch billig nach des einen, oder andern Absterben, sowohl zwischen den nachgelassenen Ehemann, oder seiner Wittwe, und den Kindern, die sowohl aus der erstern, andern, und dritten Ehe geböhren, die Theilung nach den aufgerichteten Ehezärtern billig gehalten.* Addatur Jus Pr. Hohenloicum P. I. tit. 4. §. 1. Alia statuta praeter causae cognitionem judicialem requirunt senatus confirmationem. Ita se habet in libera Imperii civitate Memmingensi:



genſi juxta *Erleuterungs-Decret d)*: dergleichen Paſſa, ehe ſie bey der Canzeley angegeben, und ingroſſiret werden, ad magistratum gebracht, deſſen cognition unterworfen, und die Beſtätigung begehret. Idem quoque Ill. de SELCHOV, e) contendit de jure Rostochienſi.

- a) MEYVUS ad *Jus Lubec.* lib. I. tit. 5. art. 5. n. 37. & art. 7. n. 81. HARPPRECHT tr. cit. n. 588.
- b) l. c. §. 9. & 10.
- c) in *Diff. de Jur. & Oblig. conjugis ſuperſtitis ex communiōe Bb. univerſali*, præfertim ſecundum ſtatuta Hildeſienſia. Gœtting. 1747. §. 7.
- d) d. 31 Octob. 1718. n. 1. KEMMERICH *diff. de ſocietate Bb. communiāli ſecundum Jus commune, & ſtatutarium liberæ S. R. I. civitatſ Memmingenſis conſiderata.* Jen. 1739. §. 24. not. c.
- e) *Elem. Jur. Germ.* §. 470.

§. II.

At hic nova exſurgit quæſtio: utrum unus conjux altero invito ab his pactis nuptialibus recedere poſſit, ut reviviſcat communiō Bb. his pactis ſublata? Et heic reſpondemus, hoc plane fieri non poſſe, niſi ſibi reſervarit penitentiam, vel alter diſpoſitionem contrariam ratihabuerit. Paſſa enim omnia in Germania fuſſe irrevocabilia a) novimus, & patet ex parœmia Juris: *Ein Wort, ein Wort, ein Mann, ein Mann.* Quod & hodie- num valere exiſtimo, quippe quævis paſſa honeſta, & deliberato animo inita, vim ſtipulationis habent, b) indeque perfectam obligationem & actionem c) produciunt. Neque diſtinctio paſtorum dotalium in ſimplicia & mixta, a Doctoribus excogitata, me abducit in contrariam ſententiam, quippe quæ, ut utar verbis Ill. de SELCHOV d) naturæ contractuum, paſſentium intentioni & legibus prorfus repugnat. Et ipſi diſſidentes ſententur, paſſa e) ſucceſſoria, ad quæ referunt f) paſſa dotalia, in Germania valere, ita ut unius diſſenſu non poſſint tolli. Conjuges autem mutuo diſſen-







differensu ab his pactis recedere posse, omni caret dubio, nisi in commodum & favorem tertii, qui interfuit, aut subscripsit, in iis disposuerint.

- a) Tacit. de mor. Germ. c. 24.
- b) CARPZOV. P. 2. C. 19. def. 17.
- c) BERGER œcon. Jur. lib. 3, tit. I. §. II. & STRYCK V. M. lib. 2. tit. 14. §. 12. seq.
- d) Elem. Jur. Germ. §. 427. add. BREVNING specimen continens caput Juris controversum: an testamentum conj. reciprocum superstiti adimat liberam testandi facultatem. Lips. 1766. §. 5.
- e) BERGER œcon. Jur. lib. 2. tit. 4. §. 48.
- f) STRYCK Tr. de success. ab int. diff. 8. c. 4. §. 2. seq.

### §. 12.

His præstructis liceat determinare tempus, a quo effectus communio-  
nis Bb. civiles initium capiunt. Quoad antiquam Germaniæ consuetudi-  
nem extra omnem dubitationis aleam est positum, communionem Bb. in-  
cepisse a consensione thori, quod ex multis locis juris antiqui liquet:  
*Wenn die Decke über den Kopf ist, seyn die Eheleute gleich reich Jus Sax.*  
lib. I. art. 45. *Und obwohl ein Mann seinem Weibe nicht ebenbürtig wäre, ist  
er doch ihr Vormund, und sie ist seine Genossin, und tritt in sein Recht, wenn  
sie in sein Bett tritt. & idem jus lib. 3. art. 45. Das Weib ist auch ihres  
Mannes Genossin aller der Ehren und Würdigkeit die der Mann hat zu Hand,  
als sie in sein Bett tritt. Spec. Suev. art. 324. Sie muß seine Genossin seyn,  
wenn sie in sein Betts gad.* Novo autem Jure hancce communionem initium  
sumere a benedictione sacerdotali multi a) contendunt. Verum enim vero  
heic non sequi possumus jura peregrina, quum communio Bb. natales  
suos habeat in moribus germanicis, qui juri peregrino sunt præferendi. De-  
inde supra docuimus, communionem Bb. consuetudine universali olim re-  
ceptam, & consensionem thori ad communionem Bb. consummandam ne-  
cessa-





cessariam fuisse. Si itaque ubique locorum olim consensio thori fuit legalis, atque necessaria solennitas: hodie non cessare potest, nisi per legem seu consuetudinem posteriorem sit sublata; qualis lex universalis autem non existat. Quum etiam non Maximilianus I. solum imperator in Ordinatione camerali de A. 1495. §. 3. adfessores cameræ juxta consuetudines & statuta, in provinciis Germaniæ introducta, judicare jussit hisce verbis: *Die alle sollen -- Schwöhren, unserm Königlichen, oder Kayserlichen Kammer-Gericht getreulich und mit Fleiß obzuseyn, und nach des Reichs gemeinen Rechten, auch nach redlichen, ehrbaren, und leidlichen (b) ländlichen) Ordnungen, Statuten, und Gewohnheiten der Fürstenthum, Herrschaften, und Gericht, die für sie bracht worden, dem Hohen und Niedern nach seinem besten Verständnis gleich zu richten;* Sed eadem quoque disposita invenimus in Ordinatione Camerali de anno 1555. c) P. I. tit. 57. in concepto Ordinationis Cameralis. P. 1. tit. 71. d) R. I. N. §. 105. & R. V. 1713. §. 15. pro dicta consuetudine antiqua gravissima semper militat præsumtio, præcipue, quum eo tempore nullæ aliæ existerint consuetudines, quam quæ continebantur in dictis speculis, & hac ratione in citatis legibus revera istæ consuetudines sint adprobatæ, ideoque valeant, donec probetur contrarium. Et quamvis collectiones istarum consuetudinum a privatis sint confectæ, hoc tamen earum vigori atque efficaciæ obesse nequit. Sæpius enim fieri solet, ut leges a privatis compilentur, & si inde ipsis obligandi vim denegabis, male judicaveris. Ex quibus & aliis rationibus & hodiernum communionem Bb. regulariter incipere a consensione thori contendo, quæ consuetudo in nonnullis legibus provincialibus atque statutis expressis verbis repetita atque confirmata est. C. Pr. Culmb. tit. 7. §. 6. *- soll wegen obangeführter Communion sofort nach erfolgter Beschreitung des Ehebettes den überlebende Ehe-Gatte --* Statut. Mulhufanum lib. IV. tit. 20. §. 1. & 2. *-- welche sie beyde nach der Einsegnung, oder priesterlichen Trauung, und beschrittenen Ehebetto miteinander zusammen gebracht haben.* Jus Prov. Wurtenb. P. 4. tit. 2. *Was von der Eheleute Succession in diesem unserm Landrechten geordnet, das solle allein von denen Eheleuten, so nach gehaltenen Kirchgang*

C

albo





allbereit zu ehelichem Beylager kommen, und die Decken beschlagen, verstanden werden. Dann so der verlobt- und versprochener Personen eine vor gehaltenen Kirchgang, und ehe die Decke durch eheliches Beylager beschlagen, verstürbe, soll ohne sondere Verschaffung oder Gemücht das Ueberlebend von dem Verstorbenen -- nichts erben. Reform. Francof. P. 2. tit. 3. §. 5. Daß beyde Ehegemaal öffentlich zu Kirchen gangen, ehelichen beygelegen, darauf einander Beywohnung gethan, und also rechte Eheleute worden. Reform. Norica tit. 28. L. 1. §. 1. & L. 3. §. 1. was nun beede Eheleut auf die Zeit ihres Beyschlafens zu einander bringen, auch alles, was sie hernacher in ehelicher Beywohnung überkommen, add. Jus Prussicum lib. 5. art. 5. §. 7. & Jus Lubec. P. 2. tit. 11. art. 12.

- a) LAVTEB. diff. de ære alieno in societ. conjug. contr. folv. §. 12. n. 7. HAHN de effectu comm. Bb. conj. soluto matrimonio, præsertim secundum statuta Moguntina. Mogunt. 1770. §. 17.
- b) Vocabulo ländlichen hoc leidlichen errore typographico substitutum fuisse observavit GEORG. MELCH. de LVDOLFF. pag. 1. præfationis in collectione quorundam statutorum provincialium & urbium Germaniæ. Wezlar. 1734. 4.
- c) In editione hujus ordinat. ANICOL. CISNERO Moguntia 1588. fol. procuratæ pag. 273. ubi quoque verba ländische Ordnungen occurunt.
- d) In editione concepti Ord. Cam. cura JO. JAC. de ZWIERLEIN Francofurti ad Moenum 1753. 4. edita eadem verba occurunt.

### §. 13.

Heic autem non prætereundum est, quod nonnulla statuta ab hac consuetudine antiqua recefferint, & aliud tempus statuerint. Ita incipit communio Bb. in nonnullis locis a benedictione sacerdotali, Stat. Dunkelsbuhl. tit. II. §. 1. & 2. Alibi a procreata sobole. Ord. Pr. Franconica a) Jus Pr. Palatinum P. 4. tit. XI. wie denn auch um solcher Ursach willen hin und wieder in unsern Churfürstenthum mancherley -- Gebrauche ingerissen, als wenn ein Kind wie man es gemeint, die 4 Wänden beschreyet, daß alsdann die Eheleut,



leut, ob schon solch Kind vor ihnen gestorben, einander dennoch ohne alle Mittel und durchaus geerbt --. Stat. Schweinfurt. Sect. V. tit. 54. §. 1. Jus Luneburg. apud Puffendorf. b) Stat. Hamburg. P. III. tit. 3. art. 1. Aliis in locis initium capit ab annua cohabitatione, ut de jure Coburg. testatur Lange c) & de jure Bamberg. Ditterich. d) Stat. Nordling. P. 3. tit. 7. Jus Pr. Hohenloicum P. 1. tit. 4. §. 1. in fine autem alternative disponit, ibi: alle Güter, so die Eheleute, wenn sie einander ohne errichtete Ehe-Pacta -- ehelichen -- sind nach der Graffschaft Hohenloh alten Herkommen zwischen beyden Eheleuten gemein, also daß ihrer beeder ein Guth ist, wenn nemlich dieselbe Kinder mit einander erzeugt oder über Jahr und Tag beyammen in der Ehe ohne Kinder leben.

a) in cit. HAVSII cit. Diff.

b) Observat. 86. §. 11.

c) cit. Tract. pag. 63. seq.

d) Diff. cit. §. 33.

§. 14.

Quum itaque communio Bb. initium sumat a consensione thori a) sequitur, ut communio Bb. nondum inceperit, si hæc consensio non sit sequuta ob mortem vel ob aliud impedimentum, etiamsi intervenerit benedictio sacerdotalis. Hoc in casu alter conjux defuncti conjugis bona non captat jure condominii, neque onera ferre debet. Hoc quoque monendum arbitror, quod non necesse habeamus, ut præcise requiramus commixtionem carnalem, quæ heic ob consensionem thori præsumitur. Neque convenit, in ejusmodi actum inquirere.

a) ENGAV El. Jur. Germ. lib. 1. §. 375. & THEODOR. SCHEFFER de consensione thori conj. Germ. von Beschlagung der Decke. Tubingæ. 1735. §. 10.

§. 15.

Ut autem hæc consensio thori legitimo modo fiat, requiritur, ut suscipiatur post benedictionem sacerdotalem. Leges enim omnes supponunt conjuges. Inde fluunt hæc sequelæ: 1) Quicumque incapax est matrimonii

C 2

ineun-





ineundi, iste excluditur a communione Bb. 2) Inter desponsatos nulla existit communio Bb, etiam si sponfalibus accefferit concubitus. Actus enim illicitus non potest efficere, ut communio Bb, incipiat prius, quam lex velit.

### §. 16.

Ab hoc igitur tempore consensionis thori omnia ipso jure sunt communia, ita ut in rebus corporalibus nulla vera & specialis traditio requiratur, & ut res incorporales transeant absque cessione. Vterque conjux concursit in compossessione omnium Bb. Spec. Sax. lib. 1. art. 45. *Der Mann siat seinem Weibe in der Gewalt.* Conjux pauper ditiozem sibi matrimonio concilians in alterius bona non obstante paupertate plenum condominium consequitur. Par lucri & damni sit ratio. Quicquid enim unus alterve acquirit, non sibi soli, sed & alteri acquirit. Et quidquid e contrario uni alterve ablatum est, intuitu ejus & alter sentit damnum, & potest rem ablatam sibi vindicare. Quilibet itaque est dominus rerum alterius, etiam earum, quas forte reticuit, vel male a) manifestavit, indeque non tenetur ad rationes reddendas.

a) MEVIVS Jus Lubec. lib. 2. tit. 2. art. 2. n. 33.

### §. 17.

At non absolum ducio, nunc specialius inquirere in effectus communionis Bb. universalis. Ut vero hoc ex ordine procedat, initium sumam ab iis bonis, quæ ab initio statim ab uxore inferuntur. Bona, quæ uxor habet, diverso nomine jure Rom. veniunt. Aut sunt dotalia; aut paraphernalia, aut receptitia. Hæc omnia regulariter in communione Bb. universalis communia sunt, & communi nomine appellantur illata. Coalescunt in unam massam a) in qua neuter sibi proprii quidquam asserere potest. Cessante itaque dote, cessant quoque omnia jura & privilegia dotis. Nec prohibi-



libitio juris Rom. de fundo de tali, etiam cum uxoris consensu non alienando b) heic valet. Neque attenditur casus necessitatis c) & utilitatis d) in Jure Rom. alienationi praescriptus. Nec sola datio sub nomine dotis meo iudicio videtur tollere communionem Bb. introductam; quippe in verbis sumus faciles; nisi a parentibus certa dos sub hac conditione tradatur, ut soluto matrimonio uxori salva sit, tunc pro parte communio Bb. universalis sublata censetur, & jus civile eatenus electum, ut uxor privilegio dotis gaudeat. Quoniam igitur maritus bonorum uxori condominus, inde absque omni mandato atque cautione in iudicio comparere potest pro uxore; quod secus Jure Rom. Hoc adhuc notandum est, quod intuitu fratrum & sororum uxoris ob collationem Bb. dotis ratio sit habenda, & ipsa talis maneat. Quod autem attinet donationem propter nuptias, haec plane superflua in communiōe Bb. universali mihi videtur. Dos enim in hac communiōe non datur, inde quoque non opus est securitate. e) Cessante itaque ratione, cessat quoque illius consequens, donatio propter nuptias. An autem filius uxorem ducens nihilominus patrem ad aliquid exhibendum adigere queat? haud absurda quaestio esse videtur. Meo iudicio omnino talis filius aliquid a patre pro patrimonii paterni quantitate exigere potest, quia filius omni subsidio destitutus vix ac ne vix quidem uxorem inveniet. Agnoverunt hoc nostri jam majores. Spec. suev. c. 381, *Der Vatter soll seinen Sohn von ihm absondern, so er 25. Jahr alt ist. mit als viel Gut als er geistig mag, und thut er das nicht, der Sohn ni thet ihn des mit Recht wohl vor seinem Richter.* Quocum consentit Jus Pr. Wurtenb. P. 4. tit. 13. *Wenn ein Kind &c.* Et hoc possumus quoque adplicare ad filias. Ubi enim est eadem ratio, ibi valet eadem legis dispositio. Neque necesse habemus ad Jus Rom. cum Langio f) recurrere, & ex his legibus patrem ad filiam pro facultate dotandam obstringere. Neque haec data nomine Romano dotis denominare convenit, quia talis datio plane non induit formam dotis Romanae.

a) REINHART diss. de rer. ux. marit. tradit. fav. S. 4. & HUBER ad P. S. 17. de jure dotium, C 3 b) pr.







- b) pr. I. quib. al. licet vel non. Nov. 61. c. 1. §. 1. 2.  
 c) L. ult. c. de fundo dotali.  
 d) L. ult. D. de jur. dot.  
 e) SCHAVMEVRCII Digesta §. 16. de Jur. dot.  
 f) l. c. §. 6. pag. 94.

### §. 18.

Ad bona, quæ communia fiunt, pertinent etiam dona nuptialia, quæ tempore nuptiarum ab amicis atque propinquis offeruntur. Quemodmodum hæc bona extra communionem Bb. utique pro dimidia parte a) acquiruntur: ita in communiōe Bb. universali conjugum utriusque quoad condominium propria fieri debent, quum hæc communiō regulariter nihil excludat.

- a) CARPZOV. J. F. p. 3. C. 22. def. 1. & 2. LAVTERBACH de societ. bonorum conj. c. 4. §. 23.

### §. 19.

Id quod etiam de arrha sponsalitia germ. *der Mahl-Schaz* dicta, contendo, quæ ita definitur: quod sit res, quæ datur in symbolum, tesseram, & probationem sponsaliorum contractorum. Hæc res dependent a cujusvis conjugis arbitrio, & diversi generis esse possunt, modo sint ad finem obtinendum comparatæ. Contrariam quidem sententiam defendit Weyer, a) quia majores non modo seorsim tractari & haberi consueverunt; sed & expressis quorundam locorum statutis e divisione præcipiuntur. Enimvero Dn. Weyer asserit quidem hanc consuetudinem, sed non probat, & ei soli fidem non possumus habere. Deinde quod istæ res e divisione in nonnullis statutis præcipiantur, ambabus largimur manibus; quippe in ipsa communiōe Bb. universali nulla divisio intervenit, sed omnia pro indiviso possi-



possidentur. Hoc adhuc addendum, quodsi communio Bb. nondum inceperit, jus Rom. valebit, & arrha sponsalitia non erit communis. Quæ omnia quoque de largitate sponsalitia dicenda esse existimo, quæ est donatio inter sponsum & sponfam spe futuri matrimonii, amoris testificandæ causa, facta.

\*) In commentario cit. P. I. th. 15. §. 4.

§. 20.

Ad has res, quæ sunt communes, referri debent istæ, quæ unus alterve conjux donatione inter vivos & mortis causa acquirit. Quamvis enim donans semper ad personam donatarii respexisse videatur, & hunc donatarium præ reliquis honorare voluerit; tamen exclusio alterius conjugis a condominio non præsumitur, nec obtinet, nisi forte donator ipse hunc modum suæ donationis statuerit.

§. 21.

Quibus rebus donatis adjungo ea, quæ unus conjux sive a parentibus & cognatis, sive ab extraneis jure hereditario, vel legati nomine cepit, & quæ quoque alterius conjugis dominio, non quidem jure hereditario, sed vi communionis Bb. universalis subsunt, simulac modo conjux heres sibi acquisivit dominium bonorum relictorum. Heic autem hæc observatio non est negligenda, quod de his bonis hereditariis, quatenus a parentibus adhuc possidentur, nondum disponere possint conjuges, indeque non subsint communioni Bb. univ. & alter conjux non gaudeat jure quæsito. Minime igitur gentium communio Bb. quæ inter liberos valet, est extendenda ad conjugum parentes, eorumque patrimonium.

§. 22.





## §. 27.

An bona alibi sita in hunc censum veniant? vexatissima quæstio est, & Icti abeunt in duas a) partes. Liceat autem subscribere eorum, qui, id adfirmant, sententiæ; quippe quæ legibus & naturæ communionis Bb. universalis melius respondere videtur. Communio enim Bb. universalis comprehendit omnia bona, quæ conjugum dispositioni non eximuntur. Dum itaque inierunt communionem Bb. univ. tacita, qua nillitur tota communitio, conventionem omnia bona deduxerunt in hanc communionem, adeoque etiam bona alibi sita; qua facultate omnino pollent, quia supra monuimus, quod communio Bb. sit modus alienandi. Quemadmodum autem bona in alterius territorio sita alienare cuicumque licet: ita quoque ipsius jus hæc bona communicandi denegari nequit. Deinde militat pro conjugibus præsumtio, quod jura, quæ ipsis in bona omnia competunt, ex legibus domicilii dijudicare velint; quæ inde desumitur, quia hic domicilium constituere maluerunt, quam alibi. Opponunt quidem, quod domicilii statuta extra territorium non sint extendenda. Verum enim vero communioni Bb. legali simul inest conventionalis tacita, quæ extra territorium omnino etiam valet. Cui accedit, quod quam maxime æquitati adverteretur, si marito in bonis uxoris alibi sitis condominium denegare, & uxori in bonis mariti in loco communionis Bb. sitis istud tribuere vellemus. Neque prætereundum est silentio, quod ait EISENHARTH b) quod in successione conjugum jura domicilii juribus rei sitæ semper præferenda sint. Postea ex conjugum successione, secundum diversa diversorum locorum statuta definienda, confusio metuenda non evitari posset. Denique quod magis adhuc firmat meam sententiam, hæc bona alibi sita in communionem Bb. vocantur expressis verbis in C. Pr. Culmbac, tit. 7. §. 4. ibi: *in oder außer Land gelegnes* --. Objiciunt quoque, quod intuitu Bb. immobilium semper statuta illius loci attendenda sint, ubi sita c) sunt. Hoc autem meam opinionem non destruit, & ipse haud nego, statuta, ubi sita sint bona immobilia, observari oportere, quatenus scilicet definiunt onera & tributa, non autem, quatenus loquuntur de bonis communicandis, vel non communicandis.





andis. Si enim hæc statuta conjuges obstringere debent, requiritur, ut tanquam conjuges domicilium ibi constituerint, quod autem in hoc casu non est.

- a) vid. HOFFMANN diss. sæpe cit. §. 3. n. p.
- b) progr. de natura & indole comm. Bb. inter conjuges tacite initæ differens. Helmstadt. 1764.
- c) STRYK de success. ab int. diss. I. c. IV. §. 2. & ENGAV Elem. Jur. Germ. lib. I. §. 372. in nota.

### §. 23.

Quid sentiendum sit de bonis fideicommissariis? paucis dicam. Hæc bona a fideicommitte fiduciario relinqui novimus, ea lege, ut fideicommissario restituat. Fiduciarius in his bonis non sibi acquirit dominium, ideoque ista bona alienare a) nequit. Ex supra dictis autem expeditum est, quod communio Bb. sit modus alienandi, & illa bona modo communicari possint quoad condominium, quæ alienari non prohibentur. Prono itaque alveo inde fluit, bona fideicommissaria non constituere objectum communionis Bb. Secus dicendum est de fructibus. Illi enim fiduciarium dominium b) atque dispositioni subsunt, ideoque apud conjuges, in communiione Bb. univ. viventes, sunt communes. Idem quoque statuere debemus de bonis avitis, Germ. *Stamm-Güter*, *Erb-Güter*, quæ a majoribus ea lege relinquuntur, ne extra familiam c) transferantur. Quum igitur finis principalis istorum Bb. sit, ut familia in splendore conservetur; sequitur jam, ut hæc bona a communiione excludantur. Deinde ea ex ratione alteri conjugi non communicari possunt, quia linæ, unde profecta, inherere dicuntur. Hæc autem intelligenda sunt de fructibus istorum bonorum, qui huic communiioni, sicuti fructus ex bonis fideicommissariis percepti, subsunt.

- a) Auth. quæ res. C. comm. de leg. L. fin. C. de reb. al. vel non. CAPP. 20 v. I. F. p. 3. C. 3. deff. 30.
- b) L. 27. L. 42. ff. de usur. & fruct.
- c) Lex Ripuar. tit. 56. §. 3.

D

§. 24.





## §. 24.

Progredior ad feuda, & disquiro, quatenus hujus communionis capacia sint? Hic iterum bene distinguendum est inter feudum ipsum, & ejus fructus. Feudum ipsum non potest deduci in hanc communionem, a) quippe vassallus tantum utili gaudet dominio, cui libera alienandi potestas non inest. Accedit, quod in feudo illi modo succedant, qui a primo acquirente b) descendunt. Deinde feudum excluditur a communione Bb. in nonnullis statutis. Sic C. Pr. Culmb. hisce verbis meæ adfuit sententiæ: *daferne aber keine Eheveredungen -- vorhanden -- soll beyderseits Eheleute Vermögen, es wäre gleich wirklich ein und zugebracht, oder nicht, der Communio Bb. univ. ausgeschlossen der Ritter oder anderer Mannlehen, wie auch fideicommiss-Güter unterworfen seyn.* Fieri autem potest, ut feudum ipsum cum consensu domini directi & agnatorum communicetur cum altero conjugate, & tunc tale feudum suam eatenus naturam amittere mihi videtur. Dum enim infertur in hanc communionem, feudum alienatur, quia communio Bb. involvit alienationem. Feudo autem alienato, amittit dominus directus dominium directum, & agnati jus in re, quod ipsis competit, eoque ipso feudum tale esse definit. Dantur quoque feuda, quæ libere, consentiente tamen domino directo, ad alios transferri possunt. Hæc ipsa non sunt exempta a communione Bb. Quod attinet fructus feudi, sine omni dubio huic communioni subesse c) possunt, quum, referri illos inter allodia, omnino constet. Bene autem hic addit sæpe laudatus HOFFMANN, d) quod modo præcavendum sit, ne fructuum communicatio necessitati servitia ex feudo præstandi noceat.

a) BROCKES I. c. §. 23.

b) 2. Feud. 31. &amp; 50.

c) 2. Feud. 12.

d) d. I. §. 3. pag. 25.



§. 25.

Liceat inter illas multiplices res, quæ in communionem Bb. univ. veniunt, nunc nominare usufructum, qui uni alterive conjugii est concessus. Quemadmodum iste ut plurimum ad personam usufructuarii restrictus a) est; ita hujus morte finitur. Nihil autem obstat, quominus inter conjuges communis esse possit; sed mortuo usufructuario conjugee, alter conjux ipsum quoque amittit, nisi conjugibus simul sit traditus; quo in casu alter conjux, morte conjugis interveniente, indivisam conjugis deficientis partem continuat, ita ut jus adcrecendi, in jure Rom. usufructuariis conjunctim concessum, heic haud locum b) habeat. Quod si igitur usufructus uni concessus ob hanc communionem alterius fiat, quero: an quoque alter teneatur ad cautionem usufructuariam præstandam? Et negativam veram autumo. Si enim unus conjux sufficientem securitatem præstiterit; non video, quid nova securitas juvet. Nemo enim cautione superflua onerandus est. Deinde si usufructuarius conjux præstat cautionem, eo ipso cavet & alter, quia omnia bona sunt communia. Denique si usufructus consolidatur, ipsum quoque communem fieri, nemo est, qui iusticias ibit.

a) §. 3. I. de usufructu. L. 3. §. fin. ff. quibus modis usufr. vel usus amittatur.

b) LAVTERBACH Colleg. theoretico -- pract. §. 1. de usufructu.

§. 26.

Inter istas res communes eminent quoque ea, quæ singulari unius industria sunt acquisita. Huc præter alia pertinent ea, quæ maritus ex officio publico, judicis, medici, consiliiarii, advocati, acquisivit.

§. 27.

Communia sunt quoque ea, quæ quis ex alieno delicto per actionem sibi inde competentem a) v. g. injuriarum &c. vel in genere ex quacun-

D 2

que



que actione consequitur. Quælibet enim actio, siue sit personalis, excepta mere personali *b)* seu personalissima, siue realis, sit communis, & quilibet conjugum contra alios ipsas instituere potest, etiam si non contraxerit. E contrario in solidum dantur contra ipsos conjuges, tanquam correos *c)* debendi.

*a)* L. 52. §. 16. pro socio.

*b)* LANGE d. Tr. pag. 215.

*c)* L. 3. §. 1. ff. & L. 2. C. de duobus reis.

### §. 28.

Non autem ea huic communioni subsunt, quæ unns conjugum ex causis inhonestis & prohibitis v. g. rapina, furto, aut alio delicto, siue publico, siue privato, acquisiuit. Talis enim acquæstus in hac communionem exceptus *a)* habetur. Et hoc ipsi naturæ communionis Bb. respondet. Ea enim modo in commune conferuntur, quorum intuitu possessor gaudet dominio. Bona autem delicto acquisita in dominio inhoneste acquirentis non sunt. Ergo dominium, quod ipse non habet, alteri communicare nequit; & etiam si talis res sit tradita, tamen non fit alterius.

*a)* L. 52. §. 17. L. 53. & 54. ff. pro socio.

### §. 29.

Sunt quoque bona, quæ ex bonis jam antea communibus quæsitæ sunt, & quod ista fiant communia, eo minus dubitare licet, quum communi nomine illa comparaverint conjuges. Ad hæc bona referri debent, quæ pecunia communi emta sunt, pensiones ex locatione rerum communium perceptæ, usuræ ex pecunia foenori elocata defumtæ, bona per transactionem quæsitæ. rel. rel. Notandum autem hic est, hæc omnia fieri communia, etiam si ante initam communionem Bb. unius suntibus fuissent comparata.

§. 30.



§. 30.

His præmissis, transitus ad ea, quæ ob ipsam communionem Bb. univ. communibus præstanda sunt sumtibus, de quibus pauca quoque addere, mei ducio officii. Liceat primo loco æs alienum appellare, durante matrimonio, aut ante istud, sive infcio altero, sive cum ejus consensu contractum; quod sine discrimine temporis & qualitatis a) in commune confertur. Quum enim omnia commoda fiant communia, inde etiam incommoda non sunt excludenda. Cui adjungo, quod quælibet res cum suo onere b) quod ei inheret, transeat. Deinde ineundo communionem Bb. univ. uterque conjux videtur cum creditoribus contraxisse, & se in solidum obligasse. Præterea, si etiam maritum solum ad debita ante matrimonium contracta solvenda obstringeremus; tamen per consequentiam uxor solveret, quoniam omne id, quod maritus possidet, ad uxorem quoque spectat. Et eadem ex ratione me convictum habeo, exceptionem, nisi maritus æs alienum ante matrimonium contractum dolose celaverit, quæ a Doctoribus heic applicatur, in communionem Bb. univ. plane exulare.

- a) Secundum Proverbium: *Die dem Mann trauet, die trauet auch den Schulden.* & qui epouse femme, epouse les dettes. Quid disponat jus Dantiscanum, de eo vid. HOFFMANN l. c. pag. 38. & statuta Coloniaensia invenire licet apud BROCKES l. c. §. 18.
- b) Illustr. D. D. CANZ. d. l. §. 6. ibique alleg. Aut.

§. 31.

Quamvis itaque vi communionis Bb. universalis uxor teneatur ad omnia debita mariti solvenda; tamen in nonnullis legibus provincialibus mulieribus certa sunt concessa privilegia, vi quorum certa ratione evadunt immunes ab ære alieno solvendo. Præsertim obveniunt beneficia separationis & cessionis; quibus explicandis autem non immoramur, quia sæpe laudatus D. D. CANZ a) & HAVS b) otium nobis fecerunt.

a) l. c. §. 7. & 9.

D. 3

b) l. c. §. 18.

§. 32.







## §. 32.

Quum uxor per se ad æs alienum solvendum obstricta sit, plane inanis atque otiosa quæstio est: utrum uxor pro marito intercedere possit? Quemadmodum enim uxor extra communionem Bb. non nisi sub certis circumstantiis pro marito intercedere potest: ita eo magis Auth. si qua mulier in communionem Bb. univ. cessare debet, quo certius est, neminem pro semetipso intercedere posse. Si autem uxor pro extraneo intercedit, exceptio Scti. Vellej. per communionem Bb. univ. non videtur sublata, ejusque applicatio potius salva manet, indeque ad solvendum non tenetur, nisi intercessio adhibitis requisitis legalibus sit facta.

## §. 33.

A communionem Bb. univ. non excluduntur pœnæ ex communi massa a) sumendæ, sive sint ante hanc initam communionem, sive expost uni alterive conjugi impositæ. Pœnæ enim sunt debita, ideoque ab utroque solvendæ. Hisce paucis jam ad dissentientium argumenta facile possumus respondere. Liceat modo ipsorum argumenta in medium proferre. Objiçunt, quod pœnæ teneant suos b) auctores, & quod obligatio & actio ex maleficio sit modo personalis, & obligetur tantum c) delinquens. Sed hæc intelligenda sunt de pœnis corporis adstrictivis, non autem de pœnis pecuniariis, de quibus nobis hic sermo est. Porro ajunt: damnum, quod quis ob maleficio suum sentit, sibi, nec socio d) debet imputare. Sed probe notandum est, quod, etsi solus auctor puniatur: tamen alter conjux consequens pœnæ, commune damnum, sentiat: quoniam omnia bona pro indiviso possidentur, & quoniam id, quod uni decrevit, & alterius patrimonio decedere supra dictum est.

- a) Just. HENNING. BOEHMER de æris alieni inter conjuges Hamburgenses communionem. Halæ Magdeb. §. 35.  
 b) L. 22. C. de pœnis.  
 c) L. 25. D. de Obl. & act.      d) L. 52. §. fin. D. pro socio.

§. 34.



§. 34.

Possent hic fusius procedere, & loqui de expensis, ob convivium nuptiale a neogamis erogatis, de sumptibus pro educandis liberis, de dote filiabus tradenda, de damnis fatalibus, de sumptibus pro funere, de expensis pro fructibus colligendis, de tributis & oneribus fundis impositis, & de multis aliis, quæ ex communi Bb. massa præstanda sunt, nisi speciminis ratio habenda foret. Sufficiat itaque hæc brevitatis studio modo allegasse.

§. 35.

Progredior potius ad alium effectum communionis Bb. universalis, quæ in eo consistit, ut neuter conjugum solus de bonis inter vivos disponere possit, sed ut melior sit ratio a) prohibentis, quod probare licebit ex jure Suevico c. 46. Leg. Allem. ibi: *Ein Weib mag ihres Gutes nichts hingeben ohne des Mannes Willen, noch ein Mann ohne des Weibes Willen.* & ex Spec. Sax. lib. I. art. 31. *Kein Weib mag auch ihres Guts nichts vergeben ohne des Mannes Willen, daß er es durch Recht leiden darf.* Quibuscum convenit Statutum Mindense tit. 13. art. 6. & tit. 6. art. 1. & 11. Et ut eo melius constet de adhibito consensu, nonnulla statuta præter consensum certas adhuc requirunt solennitates. Ord. Pr. Franconica. P. 3. tit. 90. §. 3. b) & Ord. Pr. Benth. P. 4. tit. 2. sancit ita: *Kein deror Eheleute mag unbewegliche Güter, wie auch stehende Renthen veräußern, verpfänden, weniger vor einen dritten bürglich einlassen, dem mit beyderseits Belieben, und für des Orts Richter.* Et hoc respondet c) naturæ communionis Bb. universalis. Quemadmodum enim in hac communionem nulla Bb. pars pro divisa ad alterum solum pertinet, sed omnia bona pro indiviso communia sunt quoad condominium: ita nihil æquius, nihil magis naturale est, quam ut ad alienationem alterius conjugis consensus necessario adhibendus sit. Hæc regula autem prædicta secundum indolem communionis Bb. univ. concepta fallit. 1) Si alter conjux absque justa causa dissentiat, vel 2) si alterius conjugis consen-

ina-  
ssit?  
s cir-  
mu-  
pro  
ex-  
ejus-  
nisi

massa  
ni al-  
e sol-  
s re-  
ciunt,  
x ma-  
ec in-  
pecu-  
quis  
probe  
con-  
indi-  
rimo-

mbur-

§. 34.







consensu præsumere possit; & hoc potest fieri in casu utilitatis & necessitatis.

- a) L. 12. L. 28. commun. divid.
- b) HAVS l. c. §. 30.
- c) JOH. SCHVCHART, de successione conjugum ex universali Bb. communionem secundum statuti Norici tit. 33. l. 4. & §. Alt. 1755. §. 11. & BROCKES l. c. §. 17.

### §. 36.

A scopo nostro non aberrabimus, quando heic per transfennam quasi percurrimus nonnullos disponendi inter vivos modos, & quatenus facultas disponendi libera, aut ad consensum alterius restricta sit, paucis tamen indicamus. Liceat ad istos disponendi modos primum referre adoptionem; quæ quamvis apud Romanos valde usitata fuerit, ita ut in legitima ætate liberis destitutus istum naturæ defectum supplere potuerit. Nihilominus tamen apud nostros conjuges eatenus limitata est, ut adoptio constante matrimonio absque alterius consensu peracta nulla sit, nec effectus civiles producat, quoniam per ipsum actum adoptiones in eum, qui in locum filii vel nepotis adsciscitur, & natura talis non est, jus succedendi a) transferatur, & ita adoptio bene refertur inter modos disponendi inter vivos.

- a) §. 2. I. de Adopt.

### §. 37.

Quod attinet transactionem, certum est, nullum conjugem solum transigere posse. Transactio enim est alienatio, & supra dictum est, neminem conjugum res communes solum alienare posse. Idem affirmandum esse puto de emitione venditione. Nam quamvis quilibet dominus res suas vendere, & alienas pretio suo emere possit; tamen hic secus dicendum est, quoniam res non unius solum propria est, sed & ad alterum spectat.



stat. Et si emit rem alienam, pretium ex communi Bb. massa fumendum est, & ita semper de re alterius conjugis disponit. His adjicio, quod neuter conjugum solus prædio communi servitutem a) imponere possit. Id quod etiam valet de donatione, quoniam per donationem transfertur dominium, & ipsa jam in antiquis temporibus cum alterius conjugis consensu suscepta est, prout patet ex antiquis diplomatibus, in quibus reperimus multas donationum formulas. v. g. conjuncta manu, communibus manibus, cum consensu uxoris meæ. Formulas ejusmodi exhibet Justus Hen. BOHMER. b) Quod autem hæc tradita sub limitationibus in §. 37. adjectis intelligi debeant, per se patet.

a) L. 2. D. de servit. L. 6. §. 1. commun. præd.

b) Diss. de statu antiquo & hodierno donationis inter virum & uxorem, in fine.

§. 38.

Num autem oppignoratio absque uxoris consensu facta, valida sit? etiam hic determinare haud inutile erit. Rationes quidem pro negativa militantes non desunt. Nam oppignoratio via ad alienandum dicitur, & neutrum conjugem solum alienare posse, sæpius dictum est. Sed ex Istorum doctrina, legum dispositione, & communionis Bb. univ. natura secus statuendum esse putamus. Oppignoratio enim supponit mutuum, & ad istud ex communi massa solvendum jam per se uxor, re etiam non oppignorata, tenetur. Deinde ea ex ratione quoque nullum sentit damnum mulier, quoniam res oppignorata in securitatem crediti datur, & ipsa uxor creditum, ejusque dominium consequitur.

§. 39.

Licet ex indole & natura communionis Bb. univ. neuter conjugum quoad dispositionem inter vivos ulla quadam prærogativa præ altero gaudeat;

E

deat;







deat; ab antiqo tamen ævo usque ad nostra tempora observatur, maritum plus juris habuisse, quam uxorem & contrahendo posteriorem obstringere potuisse. Competiit enim marito non quidem jure naturali *a)* sed jure divino *b)* & consuetudine Germaniæ *c)* universali potestas maritalis, & inde dependens administratio Bb. quæ quoque hodie non sublata dici potest, quoniam nulla lex posterior universalis exstat, & adhuc novo jure romano ejus vestigia *d)* reperiuntur. Deinde communior Ictorum *e)* sententia mihi adfuit. Quia itaque uxor in potestate mariti est, & ei jus bona administrandi competit, sequitur, ut uxor ex quocunque mariti contractu teneatur. Hæc autem non ita late sumenda esse existimo, ac si maritus vi hujus potestatis maritalis & inde competentis administrationis Bb. solo suo consensu omnes contractus inire, & quocunque modo uxorem obligare possit, sed potestas administrandi bona restringenda mihi videtur ad contractus conservandorum Bb. causa ineundos. Ideoque non extendo ad alienationem Bb. communium, quoniam hoc principis in §. 35. adductis refragaretur; nisi adit consensus uxoris vel expressus, vel tacitus, vel præsumtus. Liceat autem adhuc addere, quod maritus, tanquam administrator, nec juret, nec inventarium, nec rationes conficiat, nec de negligentia teneatur, sed liberam habeat *f)* administrationem. Quod maritus potestatem maritalem ob furorem vel prodigalitem &c. amittere possit, dubio caret. Quod autem attinet uxorem, quæ huic potestati subiecta est, nullus contractus absque consensu mariti ab illa celebratus vigorem habet. Solent autem WREYER *g)* quem sequitur LANGE *h)* hos casus jure meritoque excipere: 1) Si uxor sit mercatrix; 2) Si contraxerit de rebus economicis; 3) Si longe absit maritus, & necessitas urgeat contractum; 4) Si per hunc contractum uxor & maritus facti sint locupletiores; 5) Si maritus gesta habeat rata.

*a)* Cel. DAN. NETTEBLADTII systēma. elementare. universæ Jurispr. naturalis. §. 813. seq.

*b)* Genes. 3. v. 16.

*g)* Jus



- c) Jus Pr. Suev. c. 309. & spec. Sax. lib. I. art. 45. STRYCK. V. M. III. 1. §. & III. de SELCHOV. l. c. §. 467. ENGAV. Elem. Jur. G. lib. I. tit. 18. §. 402.
- d) NOV. 117. c. 14.
- e) WEYER l. c. P. I. th. 19. §. 2. & th. 20. §. 1. CARPZOV. P. I. const. 17. def. 19. LANGE d. Tr. pag. 165. KEMMERICH. l. c. §. 36. & BROCKES l. c. §. 37.
- f) MEVIUS I. Lubec. lib. 1. tit. 7. art. 4. n. 9. IO. WEYER l. c. §. 3.
- g) d. l. P. I. th. 20. §. 9. seq.
- h) l. c. pag. 186. seq.

§. 40.

Haftenus, licet paucis, actum fuit, quatenus conjugum unusquisque inter vivos disponere possit. Jam brevissimis adhuc dicendum erit, quatenus unus conjux absque altero mortis causa disponere queat. Hocce iterum fluit ex ipsa communionis Bb. univ. natura. Quum enim omnia bona pro indiviso in condominio sunt, indeque ne certa quidem unius rei pars solitatio conjugis dominio subit, sed quaelibet pars pro indivisa quoad dominium communis fit, sequitur, ut nullus conjugum solus mortis causa agere queat. Dum enim de certa modo Bb. parte disponit, jus quaesitum alterius conjugis, quo gaudet, laedit. Me non fugit, plurimos istos diversam a mea sententiam habere: Opponunt enim, quod bona pro parte indivisa tamen ad unumquemque fociorum spectent, ideoque non dubitandum videatur esse, quin etiam unusquisque de ista sua indivisa portione mortis causa pro lubitu disponere valeat. Hoc dubium quidem praegnant videtur, sed repenitus perfecta, facile removeri potest. Quatenus enim portio adhuc est indivisa, eatenus est communis, & neuter conjugum in hac portione magis est dominus, quam alter. Deinde si liberalissime hoc indulgeremus, tamen hujus adverti applicatio ea ex ratione plane exularet, quoniam ista pars indivisa non determinata est, & inde semper disponderet de re aliena, scilicet alterius conjugis, cujus itaque consensus, sive expressus, sive tacitus semper







per necessarius est. Ad meam sententiam adhuc firmandam provooco ad supra dicta in §. 35. ubi alienatio absque alterius conjugis consensu facta, nulla declarata est. Testamenti factio enim in effectu quoque est alienatio, sicuti donatio, indeque etiam idem valet. Deinde hæc mea opinio iniqua appellari nequit, quoniam uterque ad alterius consensum in testamento condendo restrictus est, & inde neutri præjudicatur. Denique adfertam meam adhuc inde probatur, quod superites plenarius omnium Bb. communium dominus fiat, Sed de hoc sermo mihi demum erit in altera parte dissertationis.

§. 41.

Possẽm adhuc excurrere in materiam communionis Bb. univ. inter conjuges separatos, & multas hic obvias quæstiones movere atque decidere, nisi adhibenda brevitatis me arceret. Reliqua igitur quæ supersunt, ulterius, si Deus vitam largietur, nec totus L. B. displicuerit labor noster, meditationi reservamus. Sufficiat interim vel

TANTVM.

PRAENOBILISSIMO DOMINO  
JOANNI JOACHIMO STRAMPFFERO,  
JVRIVM CANDIDATO DOCTISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

*Præter librorum quorundam, a me Tibi communicatorum usum, in presenti eruditionis specimine Tua esse omnia, eo lubentius hic publice testor, quo magis ex privatis disputationibus egregii in omni jure profectus Tui, quos partim in celeberrima Erlangensi, partim in nostra academia fecisti, mihi jam antea fuerunt cogniti. Gratulatus igitur, omnigenamque precatus felicitatem, ut aliquam mei retineas memoriam, decenter rogo. Dab. in Eberhardina Carolina ducali  
d. V. Martii MDCCLXXIII.*



ULB Halle  
005 362 318

3




VD18











E. 27. num. 5.

**F E C T V S**  
**COMMUNIONIS BONORVM**  
**CONSTANTE MATRIMONIO**

1773, 10.

ANTE DEO  
ECTORE  
TIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
VICENTISSIMO  
VICENTISSIMO DVCE AC DOMINO  
M I N O

17

**R O L O**

AC TECCIÆ REGNANTE REL. REL.  
VM ORDINIS AVCTORITATE

RÆS I D E  
**GVIL. TAFINGERO**

HVIVSQVE PROF. PVBL. ORD.  
MINI DVCIS CONSILIARIO  
ENTIARVM ROVEREDENSIS SOCIETATVM  
MST. TEVTONICAR. IENENSIS ET  
S LATIN. MEMBRO HONORARIO  
RE SVO IN ATERNVM VENERANDO  
F E N D E T  
RTII MDCCLXXIII.

V C T O R  
**CHIMVS STRAMPFFER**  
MEMIO - FRANCVS  
CANDIDATVS.

TYPIS FVESIANIS.

